

Atque Archilochi elegiae funebri ἐπὶ τοῦ ναυαγίου inscriptae haud ita dissimilia sunt tria disticha, in Anthologia Palatina VII, 496 temere quidem ad epigrammata eaque ΕΠΙΤΥΜΒΛΑ relata (fragm. 2), quae tamen frustula esse lugubris elegiae Simonideae eiusque in hominem scriptae qui ad rupem Geraneam naufragium fecerat et cuius nomen, quum in fragmento ipso non esset expressum, nobis ignotum esset, non item iis fuisset qui legere poterant Simonidis elegiam totam, primus omnium verissime perspexit Franckius Callin. p. 71 sqq. qui recte observavit inesse in illis versibus doloris impetum qualis ab epigrammate lapidi insculpto alienum est, tum aliam addidit rationem, quare de epigrammate ne cogitari quidem posset: „Ponamus, inquit, hoc epigramma esse naufragi sepulcro carentis cenotaphio inscriptum. Nomen naufragi nusquam occurrit. Ergo Simonides aut ipse nomen ignoravit aut cognitum quidem noluit addere. At sane non modo hoc postremum, quod omnino absurdum est, sed neutrum credibile videri potest, quandoquidem memoriae certorum hominum caussa scribebantur fere epigrammata et ipsa etiam cenotaphia, ut omnis testatur antiquitas, monumenta erant unice honoris ac memoriae caussa exstructa. Neque Callimachus, ut hoc utar, epigr. XVIII, ubi ipsos, ut scite monet Ruhnkentius in epist. crit. I p. 121, Simonideos versus expressit, nomen naufragi omisit.“ —

Deinde Franckius p. 67 sqq. duo fragmenta (fragm. 3) funebris elegiae in mortem Timarchi cuiusdam iuvenis compositae inter Simonidis epigrammata iacere abscondita sagacissime coniecit. Quorum prius exstat in Anthologia Pal. VII, 515, quod ipsum carminis initium esse et sententiam suppeditare non truncatam quidem et quae utique per se intelligi nequiret sed mancam tamen et imperfectam quaeque integrum epigramma efficere minime posset idem philologus luce clarius ostendit. „Vereor equidem ut omnium assensum sim impetraturus, si dicam eiusmodi esse morbi mentionem ut tam immaturae mortis paullo accuratior descriptio expectetur. Quippe ad sensum haec observatio, de quo difficile est disputare. Sed mox confirmabit eam alterius fragmenti comparatio, ubi ab initio talis descriptio deest. Hoc puto qui neget fore neminem, laudes adolescentis desiderari ob verba καὶ Τιμαρχον, etiam Timarchum, tam egregiae indolis iuvenem, non quum alios, tum etiam Timarchum, quod aperte languidum esset tantoque poeta vel maxime indignum. Quanquam in iis quae proxime sequebantur unum tantum et alterum honorificum adolescentis epitheton Simonidem adiecisse crediderim, hinc statim ad narrationem de obitu eius processurum. Accedit quod ex altero fragmento mox patebit poetam ad laudes defuncti uberius persequendas omnemque vitae eius rationem exponendam praecipuum illud, ut arbitror, carminis argumentum, ab ipsa demum hac narratione transitum fecisse.“ Iam post prius fragmentum idque ipsum elegiae exordium, quoniam nunc primum commemorari Timarchum ex ipsa mentionis ratione est manifestum, lacunam punctis indicavimus quam exciperet alterum fragmentum quod reperitur in eadem Anthologia Pal. VII, 513. „In utroque fragmento de Timarcho sermo est, qui illic annumeratur abreptis in flore iuventutis ac dulci vita dicitur ἡμίθεος esse privatus πρὶν ἰδεῖν κορυδαίνην ἄλοχον, hic μετῆρην ἡλικίην